



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

**Parisiis, 1644**

III. Vt res ecclesiae Romanae proprias nemo diripiat.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15967**

## CAPITVLA.

## I.

**V**T sancta Romana ecclesia sicut est caput omnium ecclesiarum, ita ab omnibus honoretur & veneretur. neque quisquam contra ius & potestatem ipsius aliquid iniuste agere præsumat. sed liceat ei debitum tenere vigorem, & pro vniuersali ecclesia pastorem exhibere curam, atque sacris precibus omnium pro omnibus interpellare auctorem.

## II.

Vt honor domino & spiritali patri nostro Ioanni summo pontifici & venerabili vniuersali papæ ab omnibus conferuetur: & quæ secundum sacrum ministerium suum auctoritate apostolica decreuerit, cum summa veneratione ab omnibus suscipiantur, & debita illi obedientia in omnibus conferuetur.

## III.

Et licet in omnibus id obseruare velimus, præcipue tamen sancimus, vt in termino beatorum Petri & Pauli apostolorum principum, nemo in eundo & redeundo, vel ibi morando, aliquam vastationem & deprædationem facere præsumat: & quæ ipsius sanctæ Dei ecclesiæ propria sunt, nemo aliqua iniqua machinatione, sine voluntate ipsius sacri pontificis, sibi vindicare præsumat. Quod si quisquam fecerit, restitutis male præsumptis, immunitatem ipsius ecclesiæ persoluat, & bannum nostrum tripliciter componat.